Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

et omnis terra arida facta est. arbor vero sub qua beatus iohannes requiescebat florebat sicut lilium. Eodem tempore cum transissent venatores per locum ipsum invenerunt Iohannem servum dei sub arbore sedentem. Estimaverunt itaque eum exploratorem esse et contristabant eum dicentes. Unde huc advenisti? Tunc beatus Iohannes narravit eis omnia. quomodo in ytaliam advenisset. Tunc illi omnes admirati sunt. quia tale vestimentum numquam viderant. Et dixit ad illos beatus Iohannes. Nolite filioli nolite mirari in molesti esse propter servicium domini nostri ihesu christi. in istum locum adveni. Adtendentes autem ad arborem: arbor vero florebat sicut lilium. Tunc cognoverunt viri illi quia dominus erat cum illo. et nuntiaverunt hoc factum beato Iohanni episcopo spolitane civitatis. Et cum hoc audisset beatus iohannes episcopus repletus est gaudio magno. et surgens perrexit ad locum ubi beatus confessor iohannes christi dominum deprecabatur. Et cum vidissent se invicem. pre gaudio lacrimas utrique fuderunt ad dominum. Et requisivit eum beatus iohannes episcopus. et retulit ei beatus iohannes omnia que supra scripta sunt. Tunc omnes qui aderant. egerunt gratias deo.

Deinde autem magna collecta. multitudo populi edificaverunt ibi monasterium. et habitavit ibi cunctis diebus vite sue beatus iohannes. et sedit in eodem loco annis. xl. iiii. et requievit in pace. et depositus est sub die quarto. x. kalendas aprilis cum ymnis et canticis. ubi prestantur beneficia dei usque in hodiernum diem. prestante domino nostro ihesu christo. qui vivit et regnat cum patre et spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

B
xiii. K. Apl.

Vita sancti Cuindeberti. episcopi et confessoris:

ANNO Quo finem vite accepit rex Ergfrid episcopum fecerat ordinari Lindisfarnensium ecclesie virum sanctum et venerabilem Codbertum. qui in insula permodica que appellatur farne: et ab eadem ecclesia novem ferme milibus passuum in oceano procul abest. vitam solitariam per annos plures in magna corporis et mentis continentia duxerat. Qui quidem a prima etate puericie studio religiose vite semper ardebat. sed ab ineunte adolescentia monachicum et nomen assumpsit et habitum. Intravit autem primo monasterium mailros. quod in ripa tuidi fluminis positum. tunc abbas eata vir omnium mansuetissimus ac simplicissimus regebat. qui postea episcopus hagustaldensis sive lyndisfarnensis ecclesie factus est. ut supra memoravimus. cui tempore illo prepositus boysil magnarum virtutum et prophetici spiritus sacerdos fuit. Huius discipulatui Codbreht humiliter subditus. et scientiam ab eo scripturarum et bonorum operum sumpsit exempla. Qui postquam migravit Codbreht eidem monasterio factus est prepositus. plures et auctoritate magistri et exemplo sue actionis regularem instituebat ad vitam. Nec solum ipsi monasterio regularis vite monita simul et exempla prebebat. sed et vulgus circumpositum longe lateque a vita stulte consuetudinis ad celestium gaudiorum convertere curabat amorem. Nam et multi fidem quam habebant iniquis profanabant operibus. et aliqui in tempore mortalitatis neglectis fidei sacramentis quibus erant imbuti. ad erratica ydolatrie medicamina concurrebant. quasi missam a deo conditore plagam per incantaciones vel phylacteria vel alia quelibet demoniace artis archana cohibere valerent. Ad utrumque ergo corrigendum errorem crebro ipse de monasterio egressus. aliquotiens equo sedens. sed sepius pedibus incedens. circumpositas veniebat ad villas. et viam veritatis predicabat errantibus. Quod ipsum etiam boysil suo tempore facere consueverat. Erat quippe moris eo tempore populis anglorum. ut veniente in villam clerico vel presbitero confluerent cuncti ad eius imperium verbum audituri. libenter ea que dicerentur audirent. libentius que audire et intelligere potuerunt operando sequerentur.

Porro Codberto tanta erat docendi peritia. tantus amor persuadendi que ceperat. talis vultus angelici lumen. ut nullus presentium latebras ei sui cordis celare presumeret. omnes palam que gesserant confitendo proferrent. quia nimirum hec eadem illum latere nullo modo putabant. et confessa dignis ut imperabat penitentie fructibus abstergerent. Solebat autem ea maxime loca peragrare. illis predicare in viculis qui in arduis asperisque montibus